



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XXVI. Proponitur nostrum fundamentum, & argumenta contraria dissolvuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

quod si peccet, sit incursum odium paulò gravius ob peccatum præcedens, quàm alioqui meretur illud novum peccatum, nullo alio præcedente; sed illud majus aut minus per accidens est de præfenti ad excludendam gratiam, & Unionem Hypostaticam; siquidem hæc tam benè ejiciuntur per unum peccatum mortale, quàm per duo; ergo de præfenti, quòd homo debeat odium ut duo sub conditione libera futuri peccati, vel illud debeat ut quatuor sub eadem conditione, non habet specialem oppositionem cum gratiâ, & Unione Hypostaticâ; sed quòd certò illud jam debeat independentè à sua libertate pro crastina die, sine dubio dicit de præfenti majorem indecentiam; ergo si hæc indecentia non repugnat cum gratia, & Unione Hypostatica, ut docet *P. Lugo*; cur debet illa repugnare?

579. Dicent secundò cum eodem *P. Lugo cit. à n. 24.* concedi posse animam illam etiam ante unionem ad corpus esse verè in peccato habituali; siquidem licet anima illa non sit adhuc unita corpori, est tamen absolutè unienda; & ex hac futuritione accipit de præfenti denominationem actu maculatæ; nam cum hujusmodi effectus non sit physicus, sed moralis, benè potest defumi à futuritione unionis ad corpus; sic enim de facto nos re ipsâ dicimur peccasse in Adamo moraliter, licet tunc non existerimus physicè, quia tunc verum erat dicere, quod essemus concipiendi ex ipsius semine. Sed contra, quia hoc videtur esse contra communem modum loquendi Theologorum dicentium, maculam peccati originalis non contrahi, nisi in ipso instanti conceptionis.

580. Dicent tertio cum eodem *P. Lugo cit. num. 26.* Theologos loqui de facto, quando scilicet animæ non nisi in ipso instanti conceptionis creantur: non autem de his casibus solùm de potentia absoluta possibilibus. Sed contra, quia juxta præsentem doctrinam sequeretur, etiam in priori naturæ, quo anima existit ante unionem ad corpus, posse concedi, illam jam esse maculatam peccato originali; siquidem etiam tunc verum est dicere de futuro: Hæc anima unitur corpori ex semine Adæ.

SECTIO XXVI.

*Proponitur nostrum fundamentum,
& argumenta contraria
dissolvuntur.*

581. **P**ROBATUR septimò cum *P. Arriaga cit. num. 32.* Idèd Adversarii dicunt, non posse peccatum iterùm redire, cum Deus dicit: *Con dono tibi peccatum, si cras oraveris*; quia tunc de præfenti, neque peccatum est condonatum, neque ira, & inimicitia Dei est deposita, sed hæc erit deponenda, & illud condonatum quando posita fuerit conditio; hæc autem posita, cum Deus absolutè remittat, & iram deponat, non potest etiam de potentia absoluta efficere, quod non condonaverit, & iram, ac inimicitiam deposuerit, cum ejus decreta absoluta sint immutabilia; sed quando Deus dicit, ut potest: *Ego tibi statim de præfenti condono absolutè peccatum: resumam tamen iram, si postea peccaveris*: intelligitur Deum simpliciter, & absolutè de facto condonasse peccatum, & inimicitiam deposuisse, quin ad illam jus habeat, habiturus tamen postea, si forte homo iterùm posuerit eam conditionem, nempe novum

peccatum; ergo hoc posito, reviviscit illud antea remissum sub illa conditione quoad moralem impunitatem, ita ut Deus hominem illum odio habeat, & puniat non solùm propter subsequenter peccatum de novo commissum, sed etiam propter peccatum præcedens sub tali conditione remissum.

Confirmatur primò, quia hunc modum condonandi habet Deus de facto ex parte; siquidem licet absolutè, & omninò irrevocabiliter peccatū præcedens condonet; iram tamen, & odium non deponit omninò absolutè, & in perpetuum; neq; nos in suam amicitiam absolutè, & in perpetuum recipit, sed semper sub hac conditione: *Nisi postea novum peccatum mortale commiserimus*; ergo sicut homo absolutè de facto est justus, & amicus Dei, licet sit verum, quod cadet ab hoc statu, si postea peccaverit; ita etiam poterit esse absolutè de facto liber à peccato præcedenti, licet verum sit, quod si iterùm novum commiserit, erit debitor, non solùm pro novo commissio, sed etiam pro antiquo sub ea conditione remisso.

Confirmatur secundò ab exemplo, quia si Pontifex potens relaxare votum, dicat: *Ego tibi votum relaxo de præfenti, ut non amplius tenearis orare, nisi postea feceris juramentum de eadem oratione; datâ enim eâ conditione, volo, ut redeat obligatio, quam nunc habes ratione voti*: in tali casu, quamdiu homo se rursus non obligat per juramentum, manet absolutè liber ab obligatione utriusque; si tamen juramentum faciat, manet dupliciter obligatus, & ratione juramenti de novo facti, & voti antecedenter emissi, ut nullus negabit; ergo si hoc modo peccata à Deo condonentur, ut possunt, clarè intelligitur, quo pacto possint esse absolutè remissa de præfenti, & tamen iterùm redire per subsequenter peccatum.

Dicent, Deum non posse tali modo peccata condonare. Sed contra, quia cum Deus sit perfectus Dominus juris ex peccato resultantis, in ipsius potestate est, aut illud in perpetuum retinere, aut in perpetuum condonare sine ulla conditione, vel onerare; ergo etiam potest media via incedere, & illud condonare sub eâ conditione; donator enim, seu condonator (hæc enim duo sunt idem pro præfenti,) potest apponere conditiones, quas velit, dummodò sint honestæ. Accedit, quod Deus homini, quem poterat in perpetuum habere pro inimico, maximam gratiam confert, si eum ita ab eâ inimicitia liberet; ut, nisi ipse homo ex sua malitiâ secundò peccet, non possit reddi inimicus; tam liber enim est jam à peccato, quàm si nunquam antea peccasset; ergo &c.

Argues 1. pro *Sor. Richard. Paludan. P. Henric. P. Soar. P. Vasq. P. Tanner. P. Lugo, P. Turrian. P. Hur.* & aliis supra cit. num. 549. Si peccatum remittitur tantùm sub conditione, non remittitur absolutè, nec poterit dici peccatum illud ablatum, nec homo mundatus, & purificatus ab illo; siquidem condonare est radicè evellere offensam; ergo si manet alta mente repositum peccatum præteritum, & radix querelæ, non est condonata offensam; cum non sit reducta ad statum antiquum, quandoquidem Deus conservat, & adhuc sibi reservat jus querelæ, & offensæ. Neque dicas, interim dum homo non peccat, eum odio non haberi. Non, inquam, hoc dicas; siquidem licet tunc non odio habeatur, manet tamen jus in Deo, ut possit illum odio habere; nam qui aliquid debet sub conditione, absolutè debet; & per illud jus Dei impeditur, quominus homo ille sit justus, & purus ab omni labe; ac proinde quominus possit esse sanctus per gratiam habitalem, utpote cum qua repugnat illud

illud debitum conditionale.

586. Confirmatur, quia macula illa sic mortificata, seu sopita, non potest coherere cum Unione Hypostatica: Primò, quia cum hæc secum afferat puritatem, & sanctitatem infinitam, non posset non extinguere omnino quamcunque maculam peccati. Secundò, quia non videtur posse concipi, quod Deus assumat humanitatem alicujus peccatoris ad unionem; & tamen non condonet omnia peccata illius absolute, sed solum pro tempore, quo duraret unio. Tertio, quia homo ille posset justè tunc orare Deum, ut sibi remitteret hoc peccatum; ergo ille status peccati dimissus solum sub conditione, est verè labe, & macula repugnans cum perfectâ puritate, & sanctitate.

587. Hoc est præcipuum, & ferè totale fundamentum Adversariorum, præsertim *P. Lugo cit. à num. 10.* ante cujus solutionem: Advertes primò, posse hæc fieri quæstionem de nomine: Utrum scilicet in eo casu cõdonatio illa dicenda sit perfectâ, & absoluta? In quo si dicant nomine perfectæ condonationis, eam solum significari, in qua nullum jus, neq; conditionatû manet in Deo, nemo dicere poterit, tunc veram, & absolutam fore cõdonationem illam factâ sub conditione. Attamen in hoc ipso est tota difficultas: Utrum scilicet tale odiû sub conditione futurum, seu, utrum jus ad illud sufficiat ad hoc, ut peccatum non dicatur absolute, & simpliciter condonatû? Et videtur quod non, licet impediatur, ne dicatur omni modo possibili condonatû, id est, sine ulla conditione, quod est longè diversum. Patet, quia aliud est, equum esse absolute, & simpliciter animal; & aliud esse, perfectissimum animal; primum enim est verum, secundum autem est falsum; ergo in hac quæstione de nomine non probant Adversarii eam primam partem, licet probent secundam; ex terminis enim constat, perfectiorem modum condonandi esse, quando sine conditione remittitur.

588. Advertes secundò, relicta quæstione de nomine, in qua quilibet pro suo libitu dicere potest: *Hoc ego significo, & non illud*: illam esse quæstionem de re: Utrum scilicet cum ea condonatione possit stare sanctitas, & amicitia Dei; imò & Unio Hypostatica, licet (esto cum hac non cohareat talis remissio,) adhuc possit coherere cum gratia habituali. Patet primò, quia sanctitas proveniens ex Unione Hypostatica, cum sit infinita, potest exigere majorem abolitionem peccati, quam exigit gratia habitualis; ergo quod illa exigit abolitionem perfectissimam, non probat, gratiam habituales non posse stare cum ea abolitione minùs perfecta. Secundò, quia Unio Hypostatica non admittit maculam peccati venialis, quam tamen admittit gratia habitualis; ergo non bene ex unione arguitur ad gratiam. Igitur ad rem ipsam:

589. Advertes tertio cum doctrina Catholica, peccatum, sicut & meritum ut futurum tantum sub conditione, non esse de præsentis simpliciter, & absolute meritum, aut demeritum. Patet, quia D. Aug. contra Semipelagianos, qui dicebant, infantes salvari, aut damnari ob peccata, aut merita, quæ habituri erant, si ad rationis usum venirent, ex hoc capite respondet, prout alibi diximus, illa merita, aut demerita sic conditionaliter futura, non esse simpliciter, & absolute merita, aut demerita; ac proinde in ordine ad Deum esse perinde, ac si futura non essent. Unde neque Judas debet hodie dici sanctus, eo quod sub tali, vel tali auxilio, si fuisset positum, illa, & illa merita habuisset: neque è contra D. Petrus debet dici peccator, eo quod, si diversum auxilium fuisset ei datum, peccasset, &

fuisset à Deo odio habitus. His positis.

Hinc manifestè colligitur, cum ea condonatione posse stare sanctitatem, amicitiam Dei, & gratiam habituales. Patet primò, quia hoc, quod est, me esse hodie debitorem odii præcisè sub hac conditione: *Si cras peccaverò*: mihi hodie non officit, nec me hodie reddit maculatum, aut inimicum Dei: sicut è contra, si Deus diceret peccatori: *Si feceris aliquando actum contritionis, aut attritionis naturalem, remittam tibi ex int ego peccatum, & dabo tibi gratiam*: non idèò statim antequam illa conditio ponatur, facit hominem sanctum, & carentem peccato; ergo sicut hæc conditio, quandiu non ponitur, non inducit gratiam; ita conditio illa, quandiu non ponitur, gratiam non impedit; consequenterque gratia habitualis stare potest cum illa condonatione peccati facta sub conditione non peccandi de cætero.

590. Secundò, quia omnes justi (imò & ipsa Humanitas Christi Domini,) de facto sunt obnoxii huic debito conditionali, nempe si peccaverint cras v. g. erunt inimici Dei, poterunt à Deo odio haberi; sicque Deus habet jus ad illud odium sub conditione; & tamen per hoc debitum sub conditione, seu per jus, quod Deus de facto habet, ut posita conditione, possit illos odio habere, nemo dicet, illos de præsentis esse maculatos, aut de præsentis debitores absolute, neque per hoc quidquam derogatur de gratia, & amicitia præsentis; ergo neque ex eo, quod debitor sit conditionatè ratione peccati præcedentis, si de novo peccet, illius odii resumendi, quidquid impeditur de gratia, & sanctitate præsentis.

591. Tertio, quia si Deus remittat Petro furtum v. g. promerens quatuor gradus intensiois odii, & inimicitia sub hac conditione: *Si iterum cras commiseris furtum simile ut quatuor, ego te odio habeo ut octo, ut quatuor propter novum furtum, & ut quatuor propter antiquum*: nemo dicet, Petrum hodie esse reum odii ut octo; siquidem peccatum sub conditione futurum non facit eum de præsentis reum; ergo neque est reus odii ut quatuor; siquidem neque Petrus potest incurrere odium ut quatuor, nisi simul illud incurrat ut octo juxta casum propositum; neque Deus nunc habet majus jus ad illum odio habendum ut quatuor, quam ut octo; ergo non est major macula ex uno, quam ex altero debito; consequenterque si esse sub conditione reum inimicitia ut quatuor non tollit amicitiam ex peccato futuro; neque eam impedit, quod sim reus hodie, sub ea conditione inimicitia ut octo ex peccato præcedente, & subsequente.

592. Quarto, quia ut aliquis sit absolute, & simpliciter liber à debito pecuniario, à carcere, à supplicio, &c. nihil aliud requiritur, quam quòd non teneatur, aut solvere, aut ire ad carcerem, nec possit puniri, nisi ipse velit dare novam causam; nam quòd, si peccaverit de novo, puniendus sit ut quatuor, aut ut octo, per accidens se habet ad hoc, ut de præsentis dicatur debitor, aut liber; ergo cum hic homo, de quo agimus in præsentis, non possit odio haberi à Deo, nisi ipse liberè det causam de novo, nemo potest prudenter dicere, eum esse jam vel reum, vel ligatum, vel obligatum, vel maculatum; proindeque cum ejus condonatione prout sic stare potest gratia habitualis. Igitur.

593. Respondeo ad argumentum propositum *n. 585.* negando antecedens; neque enim peccatum remittitur sub conditione, sed absolute, & simpliciter; conditio verò solum apponitur ad hoc, ut Deo redeat jus in eum hominem puniendum, si peccaverit de novo, & propter subsequens, & propter præcedens

cedens peccatum. Unde peccatum est absolute ablatum: resumptio autem juris ad odium est sub conditione, quia solum potest esse, data ea conditione: ac proinde resumptio illa non est simpliciter in manu Dei, nec ad illam habet nunc Deus ali- quod jus, sed habebit, si homo peccaverit.

595. Patet, quia si Petrus me offenderit cras, potero ego cras illi esse offensus; non tamen propterea habeo hodie jus, ut illi offendar, sed tunc primò habeo, si posita fuerit illa conditio; sicque hodie non habeo, nisi capacitatem, ut, posita illa conditione, habeam jus; hæc autem capacitas non facit ullo modo illum inimicum mihi, nec illum reddit incapacem meæ amicitiae; ergo similiter in nostro casu Deus hodie non habet propriè jus ullum ad odium habendum hominem illum, sed solum capacitatem, ut si homo ille cras peccaverit, habeat jus ad eum odio habendum, & puniendum, non solum ob peccatum futurum de novo commissum, sed etiam ob præteritum sub ea conditione remissum.

596. Dicent, hoc esse, & dici habere jus de præsentibus. Sed contra, quia eo admisso (ne in vocibus hæreamus,) debent etiam nobis concedere: Primò, quod Deus hodie etiam contra illum, qui nunquam peccavit, habet jus ad illum odio habendum, si peccaverit, seu posita conditione. Secundò, tale jus non esse contrarium gratiæ, & amicitiae Dei; alioqui nullus posset esse amicus, & gratus Deo; siquidem contra omnes habet Deus hoc jus conditionatum, prout supra diximus.

597. Ad illa, quæ dicuntur in argumento, nempe peccatum illud manere alta mente repositum: hominem non esse restitutum ad statum antiquum: Deum sibi reservare jus odii: maculam illam esse sopitam: non posse gratiam habitualement componi cum peccato sic remisso: non posse humanitatem illam uniri hypostaticè: & si uniretur, posse orare Deum, & impetrare, ut jus illud conditionatum remittatur. Ad primum dicimus: Primò, peccatum illud non manere alta mente, sed mansurum, seu, ut melius dicam, rediturum ad altam mentem, si homo ille peccaverit; id autem, quod erit, si talis conditio ponatur, non statim est de facto, ut supra diximus. Neque enim est Pontifex de facto ille, qui esset, si eligeretur. Secundò, manere quidem absolute de facto in Dei mente, hoc est, Deus noscit, hunc hominem peccasse; hoc ipsum autem scit Deus de Petro, & Paulo, quibus tamen omni modo peccatum, & injuriam condonavit.

598. Ad secundum, quod dicebatur, hominem scilicet non esse restitutum ad statum antiquum, dicimus ex parte esse verum, nihil tamen nobis obesse; siquidem ad amicitiam præsentem non requiritur ea integra restitutio. Dixi ex parte esse verum, quia de præsentibus est quidem in statu antiquo; siquidem homo ille tam habet in sua potestate, ne Deus amplius eum possit odio habere, quam habet quicumque, qui nunquam peccatum ullum contra Deum commisit.

599. Ad tertium, quod dicitur, Deum scilicet sibi jus odii reservasse, non est verum, imò potius totum homini tradidit, ac si diceret: Jus ad te odio habendum totum à me abduco, & totum tibi trado, tu, si volueris, poteris illud mihi restituere peccando; si autem nolueris, tuum erit: in quo casu potius dicendum est, personam, quæ offendit, esse dominam illius juris, quam Deum, ut consideranti patebit. Unde non solum Deus cessat ab odio, sed etiam à jure ad illud habendum, cum illud transferat in creaturam. Ad quartum, quod dicebatur, maculam scilicet esse sopitam, etiam non est verum,

est enim absolute deleta, & extincta, prout supra dictum est. Ad quintum, quod dicitur, nempe non posse gratiam componi cum peccato sic remisso, satis rejectum est ex supra dictis à num. 590.

Ad sextum, quod in confirmationem argumenti adducebatur, nempe, humanitatem illam non posse uniri hypostaticè, nullius est momenti. Primò, quia ut supra ostendimus à n. 588. consequentia Unionis Hypostaticæ ad gratiam habitualement nulla est. Secundò, quia ipsum antecedens, an scilicet humanitas illa posset hypostaticè uniri? dubium est, & qua facilitate affirmatur, ut affirmat P. Sobar. *Lysit. tract. 1. de Pænit. d. 4. num. 459.* eadem negatur, ut negat P. Lugo d. 10. de Pænit. sect. 1. n. 12. Attamen jam supra efficaciter ostendimus num. 591. etiam in omnibus justis, & in ipsa Christi Humanitate, dari eodem modo jus illud conditionatum ad odium, si peccaverit; siquidem quòd illud jus desumatur à peccato, quod antea fuit, dummodo de præsentibus non sit, (ut probavimus non esse,) vel à peccato sub conditione futuro, nihil efficit pro tempore præsentibus ad impediendam Unionem Hypostaticam.

Ad septimum, quod etiam adducebatur, nempe hominem illum posse orare, ut jus illud conditionatum remittatur, dicendum est: Primò in humanitate unità Verbo, de qua locutus est P. Lugo cit. non habere locum; nam si illa sciat certò, se non amissuram Unionem Hypostaticam; ac proinde se non daturam occasionem ad ejus odii resumptionem, quia nunquam peccabit, non est cur orat, Patet, quia si ego haberem hanc obligationem, quod si venissem Londinum, essem eo ipso macrandus, & aliud scirem per revelationem, me illuc nunquam venturum; non quidem curarem liberari ab ea obligatione conditionatà, utpotè quæ nihil de facto mihi officit, aut officere potest, supposito, quod illuc nunquam sim venturus.

Secundò, nullum esse inconveniens admittere, eam humanitatem posse petere liberationem illam, non quia de præsentibus aliquid oblit, sed quia pro eo casu conditionali melius ipsi esset non incurere odium, nisi ut quatuor propter solum peccatum sub conditione futurum; quam illud incurere ut octo, & propter peccatum sub conditione futurum, & propter præteritum sub ea conditione remissum. Patet, quia si quis faciat votum de se non inebriando, potest nunc petere relaxationem ejus voti, non quia per eam obligationem constituitur Deo odiosus, & inimicus, sed quia iudicat sibi melius esse, casu quo se inebriet, solum peccare contra unum præceptum, quam contra duo, seu (ut magis ad rem præsentem loquamur,) quia melius ei est incurere odium ut duo, quam ut octo, cum tamen per hoc de præsentibus nullum incurat; ergo similiter in nostro casu de præsentibus nullo modo est inimicus, imò potest esse amicus Dei; petit tamen liberationem, quia si fortè postea sit peccaturus, melius illi erit incurere odium Dei ob solum unum peccatum, quam simul etiam ob antiquum.

Tertio, humanitatem illam non petituram eam liberationem, quia fortasse in eo casu melius ei esset non liberari; siquidem per hoc haberet majorem rationem cavendi illud novum peccatum, eò quòd deberet incurere quasi duo peccata; sic enim ob similem utilitatem emitimus votum cavendi etiam illa, quæ alioqui debemus cavere, quia sunt intrinsecè mala, ut sic majori cum ratione caveamus illa.

Argues 2. Si ego donem Petro enssem sub hac conditione

conditione, quod si me aliquando offendat, teneatur illum mihi restituere, non facio illum verè dominum talis casus; sicque non potest illum abalienare, & multò minùs consumere; sed Deus in nostro casu solùm mihi condonat jus acquisitum ex antiquo peccato sub simili conditione; ergo non facit me perfectè dominum ejus juris; ac proinde non ero absolutè liber à peccato; neque peccatum sic condonatum dicitur redire, si postea ponatur conditio. Respondeo primò retorquendo argumentum, quia in proposito casu etiam ego donans ensem Petro non maneo ejus dominus; imò multò minùs, quàm ipse Petrus; ergo neque Deus manebit dominus illius juris; ac proinde non poterit esse mihi offensus, quandiu non fuerit apposita conditio, sive peccatum, ratione cujus suum jus iterùm sumat.

605. Respondeo secundò negando majorem; illa enim est vera donatio, verumque dominium transfert in Petrum, licet cum aliquo onere: sic enim qui accipit rem cum incapacitate illam vendendi, est verè illius dominus, (ut sæpè tradit ipse P. Lugo de Justit.) licet aliquo modo habeat ipsum dominium ligatum ratione incapacitatis; ergo similiter dicendum in nostro casu, & à fortiori dicitur, Deum transferre dominium sui juris, cum sit in mea potestate de illo disponere, quatenùs in mea potestate est ponere, aut non ponere conditionem, quam si ponam Deus suum jus resumat.

606. Respondeo tertio, datà majori, & minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia cum Petrus casu, quo offenderet donatorem, deberet eundem ensem numero restituere, possibile autem sit, quòd offendat, nec sciat certò, quid sit facturus, non est in sua potestate ensem distrahere, nè se incapacem reddat ad eam restitutionem; & cum non possit uti liberè re sibi donatà, non potest dici verè illius dominus: at verò in nostro casu, cum non sit in potestate Dei, sed hominis peccare, aut non peccare, & per hoc efficere, ut Deus habeat, aut non habeat jus ad odio habendum ipsum hominem, sine dubio homo ille, & non Deus, erit propriè dominus ejus juris; ac proinde liberrimus erit homo, quandiu conditionem, sive peccatum non posuerit.

SECTIO XXVII.

Due alia difficultates circa præcedentem doctrinam excitantur, & resolvuntur.

607. **D**IFFICULTAS I. Utrùm possit Deus peccata remittere ad certum tempus, quo elapso, statim redeant quoad pristinam culpam, & moralem imputabilitatem, independentè ab ulla conditione, & novo peccato ipsius hominis? Affirmativè. Ita P. Amicus tomo 8. d. 7. sect. 2. num. 64. Probatur, quia Deus potest peccatori contrito suam gratiam infundere, & ad eum converti amore amicitiae, & post aliquod tempus eandem gratiam ab eo subtrahere in odium peccati præteriti; siquidem in hoc nulla apparet repugnantia; cum liberè suam gratiam homini conferat, sicut poterat non conferre, ita potuit solùm ad certum tempus donare, eoq; elapso, eam liberè subtrahere; sed hoc posito, & gratià subtractà, peccatum rediret quoad pristinam culpam, & moralem imputabilitatem; ergo &c.

Tom. 2.

Probatur Minor, quæ sola indiget probatione, quia sicut ad infusionem gratiæ tollitur peccatum utpote quod cum gratia non compatitur, ita per subtractionem ejusdè gratiæ in odium peccati præteriti, rediret præteritum odium Dei fundatum in ipsà offensà præteritâ solùm ad certum tempus condonata; sed non potest redire pristinum odium Dei ex parte ipsius Dei, quin redeat peccatum ex parte hominis peccatoris, utpote in quo fundatur odium Dei; ergo rediret pristinum peccatum quoad culpam & moralem imputabilitatem ex parte peccatoris.

Oppositum tenent aliqui cum P. Arriaga tomo 609. d. 15. sect. 4. subsect. 2. num. 42. pro quibus: Objicies 1. In tali casu peccata præterita, si redirent, non redirent voluntate hominis, sed Dei; atqui hoc non videtur ullo modo dicendum; siquidem Deus nequit esse, aut dici author peccati, neque etiam reditùs illius, cum hic sit etiam moraliter malus, & peccaminosus; ergo &c. Respondeo distinguendo majorem: non redirent voluntate hominis, sed Dei voluntate influente, & causante ipsa peccata; nego majorem: voluntate Dei non remittente absolutè peccata; concedo majorem. Unde cum peccatum, ut absolutè extingatur, pendeat ex voluntate Dei illud absolutè remittentis, neque peccator possit solâ suâ voluntate peccatum delere, hoc ipso quod Deus illud absolutè non remittit, est causa reditùs illius, non quia per se influat in ipsum peccatum, sed quatenùs illud absolutè non remittit, quæ quidem absoluta non remissio, sicut non est in se mala, utpote quam Deus potest liberè non concedere, ut potest non concedere omnino: ita nullum erit absurdum, illam sub hac conditione concedere, & quòd ex hac sua voluntate non remittente absolutè peccatum, hoc iterùm redeat.

Objicies 2. Si Deus possit prout sic peccatum homini condonare, lequeretur: Primò, esse simul homini amicum per conversionem amicabilem ad eum, & inimicum per odium, quod contra eundem conservaret, & sibi reservaret pro tempore futuro. Secundò, simul remittere, & non remittere offensam: remittere, quatenùs ei gratiam sanctificantem infundit, cum qua non compatitur peccatum: non remittere, quatenùs odium adhuc contra talem hominem retinet; sed hæc implicant contradictionem; ergo &c.

611. Respondeo ad primam sequelam, Deum non fore simul amicum, & inimicum pro eodem tempore, & respectu hominis eodem modo se habentis; sed fore amicum pro uno tempore, & inimicum pro alio; eumque dilecturum ut amicum præditum suâ gratiâ; & eundem odio habiturum ut inimicum privatum suâ gratiâ in pœnam peccati, quod non implicat; sic enim Deus de facto diligit reprobum ut amicum ob præsentem justitiam, & eundem odio habet ut inimicum ob futura demerita. Ad secundam sequelam eodem modo dicimus, Deum remittere offensam pro uno tempore, quo gratiam infundit; & non illam remittere, sed odio hominem habere pro alio, quo gratiam subtrahit in odium peccati præteriti, quod non implicat. Neque verum est, Deum pro præsentem tempore retinere odium contra talem hominem; sed solùm jus ad illud resumendù pro tempore futuro ad subtractionem suæ gratiæ; jus autem retinere ad futurum odium non repugnat cum præsentem dilectione, prout supra diximus.

Objicies 3. Peccatum semel à peccatore efficaciter retractatum, non potest iterùm redire sub ratione culpæ, & moralis imputabilitatis, nisi opposito actu ab eodem peccatore retractetur ejus

F f f

pros